

v. 18 « Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum ».

Ita h. l. omnes; ubi illud mirum est, nullos occisos esse pedites. 1 Par. 19, 18 habet « septem millia currum, et quadraginta millia pedum ». *Ios.* « septem millia equitum, et quadraginta millia pedum ». Quod *Syr.* habet *quatuor millia equitum* (1 Par. *peditum*), falsum est, utpote quod nulla alia auctoritate nitatur; sicut etiam eiusdem h. l. additum *et populus multus*, i. e. pedites. Iam si superiores numeros conferimus cum iis 8, 4, 5 et 1 Par. 18, 4, 5, qui ad idem proelium videntur referri, habemus equites 1700 vel 7000, pedites 42000 (de Soba et Damasco), currus 1000. Ex quibus numeris omnibus inter se collatis probabile fit, in nostro textu primitus et equites et pedites et currus scriptos fuisse; notandus 8, 4 numerus 1700, utpote qui vocem et *centum* et *mille* in se contineat, quemque ortum conicio ex 700 (cf. 8, 4; 10, 18) et 1000 (10, 18; 1 Par. 18, 4; 2 Reg. 8, 4), equitibus sc. et curribus. Hinc textus primitivus fortasse hic fuit: *שבע מאות פרישים וארבעים אלף איש רגלי*, septingentos equites, et mille currus, et quadraginta millia pedum. Hostibus primo impeta disiectis, equitatus fere totus fuga se subduxit, currus equitibus minus expediti mille capti sunt, pedestres copiae fere totae interfectae sunt.

« Et Sobach principem militiae percussit, qui statim mortuus est ». v. 19 « Videntes autem universi reges, qui erant in praesidio Adazer », i. e. qui cum praesidem sequentur, eius tributarii, *Hebr. servi Adazer*, « se victos esse ab Israel, expaverunt, et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis », tributum pendentes, « *timueruntque Syri auxilium praebere ultra filiis Ammon* ». Quae uncinis inclusimus, sola habet *Vulg.*, non sunt tamen S. Hieronymi; unde petita sint, nescimus (*Ver.*).

B. Peccatum David eiusque sequelae 2 Reg. 11, 1-20, 26.

Promiserat Deus, se Davidi aedificaturum esse domum, cum ecce David infando scelere propriam domum deserat. Placatus per poenitentiam Deus promissa implere aggreditur. Non potest tamen Dei aedificatio profanato superstrui fundamento: unde nascitur Salomo aedificaturus templum Deo, et promissionum David haeres futurus, dum Amnon et Absalom misere intereunt. Hinc narrationis tres discerne partes: cap. 11 Davidis peccatum, cap. 12 Davidis reconciliationem, cap. 13-20 peccati sequelae.

1) Peccatum David 2 Reg. 11, 1-27.

Ang. — Exercitu contra Ammonitas dimicante, David Hierosolymis cum Bethsabee adulterium committit; Uriam e castris revocatum pri-

um, ut uxore utatur, inducere conatur, tandem in castra remissum hostium tellis interimi curat; mortui uxorem ducit atque ex ea filium suscipit.

*Greg.* (76. 687): « Ad hoc in scriptura s. virorum talium, i. e. David et Petri, peccata sunt indicata, ut cautela minorum sit ruina maiorum; ad hoc vero utrorumque illic et poenitentia insinuat et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat, de lapsu etiam suo David surgente nemo desperet ». *Theodoret.* hac historia demonstrari affirmat, quantum valeant afflictio et labor: qui Saule insequente sapienter se gesserat, qui in acie existens ex legibus divinis vitam administraverat David, idem otio diffuens in nefarium scelus prolapsus est. « Negotium Davidem fecit castum, otium adulterum » (*Lap.*).

Cap. XI v. 1 « Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Ioab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba; David autem remansit in Ierusalem ».

*Vertente anno*, ad litteram *revertente* (*Hebr. Syr.*), ergo non *sub finem anni* (*Chald. Arabs.*), sed *sequenti anno* (ita ad 1 Par. 20, 1 LXX *Syr.*), *anno secundo* (*Arabs. Ib.*), *post anni circulum* (*Vulg. Ib.*), et quidem eius anni initio seu « vertente vere » (*Ios.*). Initium anni, qui mense Nisan incipiebat, tempus erat, quo reges ad expeditiones bellicas prodire consueverant: *Hebr. tempus egressionis regum* (*kethib בלתיים legati* ab omnibus versionibus confoditur). Intelliguntur autem reges eorum regionum quilibet, non soli reges Soba, Istob etc., uti suggerit *Ps. Hier.*, imo principalis reges Hebraeorum. — Quaeritur iam, unde ille annus computetur. Censet *Keil* computari a 10, 14, ubi narrantur Ammonitae intra urbem Rabbath esse repulsi. Solutio pendet ex quaestione, fuerintne, quae 10, 15-19 narrantur, gesta eodem anno ac ea, quae 10, 6-14 habentur; videntur gesta esse anno sequenti, opus enim habuit Adazer aliquo temporis spatio ad suorum animos origendos et Transeuphratenses accersendos. Quae vero cap. 11 narrantur, utique posteriora fuerit 10, 15-19 narratis: nam cap. 11 describitur *ultima* contra Ammonitas expeditio, destructione urbis principis 12, 29-31 concludens, dum expeditio 10, 15-19 relata ruinam Ammonitarum praecessit, uti sequi videtur ex v. 19: « *timueruntque Syri auxilium praebere ultra filiis Ammon* ». Hanc ipse ab initio David 10, 17 direxit, illam ab initio Ioab. Dicamus ergo cum *Calm.*, quae cap. 11 narrantur, gesta esse « post annum a bello Syriaco » (secundo) « et verna anni tempestate ». — Quaeritur, qui intelligantur *servi* regis. *Theo.* servos putat intelligi eos, qui constanter arma gerebant, nam reliquus populus necessitate solum urgente ad arma vocabatur; vel servos centuriones, populum gregarios milites, quae altera expositio fundamento caret. *Servi* regis 10, 2 ii sunt viri, quibus rex utitur legatis: iidem 15, 14. 16 alio nomine *domus* regis appellantur, et v. 18 a Cerethis, Phelthis et Gethaeis distinguuntur. Videntur intelligi Israelitae regiae familiae adscripti, et quidem h. l. bellatores potius quam consilarii.

v. 2 « Dum haec agerentur, accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambulet in solario domus regiae, viditque mulie-



*rem se lavantem ex adverso super solarium suum; erat autem mulier pulchra valde* ».

*Post meridiem* : Hebr. tempore vespertino ; *los*. זמנא דליליא i. e. tertia vel quarta hora pomeridiana. Sane זמנא non significat primum tempus pomeridianum. Quodsi David somnam pomeridianam consueto longius protraxit eoque tempore, quo homines minime solebant, in solarium deambulavit, tollitur ea, quae aliquos angit, Bethsabee impudentia eo loco lavantis, in quem e solario domus regiae aspectus pateret. Sane hoc solarium soli regi reservabatur et tempus diei, quo ipse in eo deambulare consuevisset, optime sciebatur. Recte sentit *Cler.*, alias prope non adfuisse domos, e quibus in atrium seu hortum Bethsabee prospectus pateret, alioque imprudentissimum ac fere meretricium futurum fuisse mulieris factum. Sed nolim eidem auctori assentiri, longius a loco Bethsabee abfuisse regiam domum, nam sensus textus obvius est illicetum esse regem, non indistincta aliqua percepta mulieris forma, sed eius individua pulchritudine animadversa. — *Ex adverso super solarium suum* : Hebr. כעל המזל utique cum LXX vertendum est *de solario* sc. vidit, puta in loco inferiori, qui superiori aspectui pateret, in atrio aliquo non tecto. Recte notat *Mar.*, mulierem non lavasse *super solarium* (*Vulg. Chald.*) : id ab usu orientis abhorret, et nimis saperet licentiam. Vulgatae verba aut sunt mera hebr. textus explicatio, quae tamen vix h. l. requirebatur, aut ortum ducunt a lectione aliqua כבול על המזל.

v. 3 « *Misit ergo rex et requisivit, quae esset mulier* ». Cur requisivit? Quod vespertino tempore, inquit *Munst.*, David non certo potuit illam agnoscere. Melius, quod mulieres ad aulam non accederent, ideoque regi minus essent notae. « *Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee, filia Eliam, uxor Uriae Hethaei* ». Increvit tentatio, ubi didicit rex, mulierem esse uxorem viri absentis. Urias 23, 29 heroibus David accensetur.

*Hethaei*, gens Gen. 10, 15 Canaanitis attributa, Abrahae tempore Gen. 23, 3 etiam Hebronem obtinens, tempore Pharaonicae in Syriam dominationis circa Orontem maxime incolens. Reges Hethaeorum cum regibus Syriae Salomoni tributum pendunt 3 Reg. 10, 29, quorum ipse vicissim filias 11, 1 duxit uxores. Sub Ioram rege Israel Syri 4 Reg. 7, 6, adventum Hethaeorum non minus quam Aegyptiorum veriti, in fugam se dederunt. Plures monumenta Assyriaca Hethaeorum regulos noverunt, quorum princeps fere erat rex Karkemisch. Incolebant regionem Amanum montem inter et Euphraten fluvium. Perperam a *Movers* et *Fürst* confundebantur cum Cethim (Gen. 10, 4) Cyprum incolentibus, qui constanter כת scribuntur, non חת. Cf. *E. Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung, Giessen 1878, p. 225 sqq. Neque tamen dicimus, Uriam ex descripta superius regione oritundum fuisse, cum etiam Salomonis aeo quaedam Hethaeorum reliquiae in ipsa terra sancta existerent, 3 Reg. 9, 20 sq.

*Nuntiatum est* : ita vertendum impersonale ייאמר ; perperam putat *Cler.*, verba esse Davidis, mulierem iam aliquatenus agnoscentis. Nomen בת שבע Par. 3, 5 leviter alteratum legitur, estque ibi. punctandum בת שבע. Eliam ibi., transpositis vocis

componentibus, legitur Ammiel, unde patet falso legere LXX Eliab. Eum Eliam eundem esse, atque 23, 34 Eliam filium Achitophel, audacius praesumit *Ps. Hier.*

v. 4 « *Misis itaque David nuntiis, tulit eam* ». Non dicitur dolo aut vitulisse ; parum probabile est, per nuntios intentionem adulterii significasse ; mulier regiam invitationem declinare non poterat. Deo relinquendum de intentionibus iudicium. Certe postmodum David eam erga Bethsabee manifestavit praedilectionem, quae sincera fundaretur aestimatione : vix autem aestimasset, quam iudicasset ex ambitione se ipsam adulterio sponte obiecisse. « *Quae cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea, statimque sanctificata est ab immunditia sua* ». Magna huius tam magnae turris ruina, magnum spectaculum, in quo quisque nostrum videat, quia nunquam, dum vivit, de status sui firmitate securus esse debet (*Rup.*). « *Muliebri succumbit formae, quem neque leo, neque ursus, neque terror Israelis Goliath, neque mille tela frangere aut domare poterant* » (*Tir.*) : .

*Statin merito Vulg.* supplevit. Ultimam incisum, a reliquis versionibus discordantes *Syr.* et *Theodoret.*, interpretati sunt sensu plusquamperfecto : « ipsa autem (iam ante aditum regem) expurgaverat menstruationem », et ita quam maxime disposita erat, quae conciperet (*Grot.*) : vel exprimitur, regem non eo saltem peccasse, quod cum immunda congressus sit (*Vatabl.*). Quae altera expositio fatilis, prior vix non sordida est. Agitur de mundatione Lev. 15, 18 post copulam praescripta. « Facile neglecta lege morali, accurate servatur lex caeremonialis », concludant *Then.*, *Keil.* Omnino ; adverte tamen, semel admissa morali praeviaricatione, melius fuisse legem caeremonialem servare quam negligere.

v. 5 « *Et reversa est in domum suam concepto foetu. Mittensque nuntiavit David et ait : Concepti* », vide consulas et nomini tuo et saluti meae» (*Tir.*). Monuit, «ut de via delicti occultandi dispiceret ; morientum quippe illi erat secundum patrias leges, adulterio admissis» (*Jos.*), Lev. 20, 10. Id Davidem reapse dispexisse, ostendunt sequentia. v. 6 « *Misit autem David ad Ioab dicens : Mitte ad me Uriam Hethaeum. Misitque Ioab Uriam ad David* ». «Unum iam unice intendit, quod prae ceteris cordi esse solet alte prolapsis, quomodo prospiciat bonae hominum existimationi» (*Duguet*). Pulchre peccati processum describit *Theodoret.* : «Prospiciens simpliciter, non curiose, vidit mulierem lavantem. Sed, non fugiens aspectum revera perniciosum, formae inescatus venustate deglutivit hamum peccati. Et hoc quidem peccatum ei conciliavit libido ; alterum pudor. Nam cum rescivisset mulierem esse gravidam, veritus est, ne convinceretur ; omnem tamen movit lapidem, ne in secundam incidere in iustitiam». Urias ex 23, 29 unus erat ex Gibborim, ergo aptus sane, qui, quo loco res essent, regi nuntiaret. Ast praetextus tantum is erat ; cupiebat rex, ut Urias in domum descenderet et cum



uxore rem haberet, ut prolis ortus spurius lateret, v. 7 « *Et venit Urias ad David. Quaesivitque David, quam recte ageret Ioab et populus, et quomodo administraretur bellum* ». v. 8 « *Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius* ». « Cum nullis tunc vestibus indui solerent crura, sudor et pulvis morem hunc lavandi pedes necessarium reddebat » (*Calm.*).

*Hebr.* Quaesivitque David, quomodo haberet Ioab, et quomodo haberet populus, et quomodo haberet bellum; לְשׂוֹרֵם Theod. verit ei: לְשׂוֹרֵם. Urias illico ab itinere (non enim laverat pedes) ad regem deflexit, diu ab eo colloquio detentus est, ut tanto magis quietis et uxoriae recreationis experiretur desiderium. — Cibus regius: בִּישְׁתָּא, aliquid quod elevatur, LXX ζῆλον: Am. 5, 11 id intelligitur de dono honorario, 2 Par. 24, 6, 9 de donario templo dicendo, Gen. 43, 34 de portionibus hospitibus honorandis attributis. Intelligitur ergo h. l. aut munus generatum (*Syr.*) aut, quod probabilius est, cibus a rege submissus (*Vulg. Chald.*).

v. 9 « *Dormiit autem Urias ante portam domus regiae cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam* ». Utrum subodoratus sit rem (*Keil*), non liquet: sensus v. 11 expressi potuerunt esse omnino sinceri, v. 10 « *Nuntiavitque est David a dicentibus: Non viit Urias in domum suam* ». Haud dubium, quin ipse David inquisierit. « *Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam* », quod omnes homines facere consueverunt reduces ex itinere » (*Ios.*)? v. 11 « *Et ait Urias ad David: Arca Dei et Israel et Iudae habitant in papilionibus* », (tentoriis), « *et dominus meus Ioab et servi domini mei* » (*Ioab*) « *super faciem terrae manent: et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea* »? Hinc discimus, arcam in castra fuisse delatam: eodem quippe sensu affirmatur arca habitare in papilionibus, quo Israel, Iudae et Ioab, « *Unde* », inquit *Cler.*, pro aliis locis, ubi quaeritur, fuerint arca in castris, « *colligere licet, argumenta ex mero silentio desumpta in horum librorum interpretatione satis per se firma non esse* ». Qua mente Urias locutus sit, non constat: alii viri pietatem commendant, dum alii eum, acceptae iniuriae haud ignarum, regis conatus eludere arbitrantur. Utique non intendebat Urias regi exprobare, quod non ad bellum ipse processisset: sed non videtur fuisse plane aequum, ut rex, domi remanens, arcam dimitteret in castra. « *Per salutem tuam, et per salutem animae tuae non faciam rem hanc* ». v. 12 « *Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera* ».

*Per salutem etc.*: putant *Then.*, *Welsh.* eam adiurationem esse corrigendam; 1 Reg. 1, 26; 17, 35; 2 Reg. 14, 19 legi « *per salutem animae tuae* »; 1 Reg. 20, 3 et 25, 26

« *vivit Dominus et vivit anima tua* »; nostram adiurationem pleonasmio laborare. Sed num homines vehementi affectu incitati pleonasmio semper abstinere? Similiter *Ioab.* praeferebat LXX ἄνδρα pro ἄνδρ: « *Quomodo, per salutem animae tuae, faciam rem hanc?* » Sed ea lectio sufficienti auctoritate desituitur. — פֶּתֶם בְּיָמֵיךָ non significat « *partem diei sequentis* » (*Then.*), sed *diem sequentem*, cf. Gen. 19, 34; Ex. 9, 6; Iud. 9, 42. Ergo David uno etiam die diutius, quam indixerat, detinuit Uriam; inebriationem, uti videtur, repetiit. *Syr.* vocem versui sequenti iungit: *altera die vocavit eum David*; et ita construi posse, ex Lev. 7, 16 evincitur. Sed cur David non ipsa eum die coenae adhibuerit, quem ob eum solum finem detineret, ut inebriatus uxori iungeretur?

v. 13 « *Et vocavit eum David, ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum; qui egressus vespere, dormiit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit* ». Egressus est vespere, epulo sat diu protracto; sed hebraea voce non cogimur, de veri nominis inebriatione cogitare, v. 14 « *Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Ioab, misitque per manum Uriae* », v. 15 « *scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est proelium, et derelinquite eum, ut percussus intereat* ». « *Abiit ferens gladium et derelinquit eum, ut percussus intereat* » (*Theodoret.*). Modus propositae necis indicabat, non esse admissum ab Uria delictum, quod publice mulctari posset morte: ergo vix licebat Ioabo ei mandato obsequi. Sed libenter usus est Ioab occasione, qua regem alicuius sceleris complicem nancisceretur, quo securius evaderet admissorum ipse scelerum poenas, v. 16 « *Igitur cum Ioab obsideret urbem, posuit Uriam in loco, ubi sciebat viros esse fortissimos* ». v. 17 « *Egressique viri de civitate bellabant adversum Ioab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethaeus* ». v. 18 « *Misit itaque Ioab, et nuntiavit David omnia verba proelii* », v. 19 « *praecepitque nuntio dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem, v. 20 « *si eum videris indignari, et dixerit: Quare accessistis ad murum, ut proeliaremini? an ignorabatis, quod (multa) desuper ex muro tela mittantur?* » v. 21 « *Quis percussit Abimelech, filium Ierobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molae de muro, et interfecit eum in Thebes? Quare iuxta murum accessistis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethaeus occubuit* ». Factum Abimelech habes Iud. 9, 50 sqq.*

*Hebr. Chald.*, expuncto nomine Baal, legunt Ieriboseth; sed eum *Vulg.* legunt LXX et etiam *Syr.*, qui tantum literas בַּי in בָּי corrupti, Nedubeeel. Cuius corruptionis initium adiectum reperis textui graeco: *filium Ierobaal, filii Ner (abeel)* 1 — פֶּתֶם בְּיָמֵיךָ posse verti *fragmen* (*Vulg. LXX Syr.*), patet ex 1 Reg. 30, 12; hinc derivatur significatio partis, dimidii (*Chald.*). Iam פֶּתֶם בְּיָמֵיךָ esse partem seu molam superiorem molendini, germ. « *der Laeufer* », inde patet, quod mola inferior Iob. 41, 15 (16) vocetur פֶּתֶם בְּיָמֵיךָ; et ita intellexerunt *Chald. Syr.*



v. 22 « *Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia, quae ei praeceperat Iob* ».

Soli LXX addunt, sicut v. 19, *universos sermones belli*; dein, interposita sententia *Et indignatus est David contra Iob, et dixit ad nuntium*, verbotenus repetunt interrogationes v. 20 sq. ex mente Davidis prolatas. Quem textum *Theo.* declarat genuinum, cui assentitur *Wells*. Rationes afferuntur hae. In textu masor. desideratur mentio indignationis David, oratio v. 23 exorditur a ך. Verum ipsi ך initiale verba nuntii v. 23 inducit tamquam responsum seu explicationem ad quaestionem, a qua referenda, quod cum v. 20 sq. dictis eadem esset, s. auctor abstinere potuit; responso autem praeiisse verba indignationis, ex contextu elucet. Davidis indignantis verba aequè facile aut irrepere potuerunt, aut excidere. Sola, quorum v. 20 similia, licet non eadem habentur, verba *Et indignatus est David contra Iob, et dixit ad nuntium* textui LXX aliquam praeiubent probabilitatem, non tamen eam, qua reliquis textibus omnibus sit praeferendus.

v. 23 « *Et dixit nuntius ad David : Praevaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum : nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis* ». Hebr., LXX, Chald. usque ad ostium portae, v. 24 « *Et direxerunt iacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper; mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Bethaesus mortuus est* ». v. 25 « *Et dixit David ad nuntium : Haec dices Iob : Non te frangat ista res, (varius enim eventus est belli,) nunc hunc et nunc illum consumit gladius. Conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos* ».

*Fulg.* : Non te frangat ista res; reliqui non sit mala in oculis tuis haec res, ne illam reputes infortium. — Verba, quae uncinis inclusimus, sola habet *Fulg.* : quae *Mar.* non improbabiler coniecit, alteram esse translationem verborum וכה כה וכה כה, sicut hunc sicut illum. — Hebr. confortat bellum tuum, et destrue eam. *El* confortat eum. Quod ultimum incisum non Davidis nomine Iobae est nuntiandum, sed a Davide nuntio dicitur : Conforta eum sc. Iobam, his et similibus verbis, quasi deiectionum animo. David, quem moerens ac tremens excipere debuit nuntium, apparenti exceptit acquiescentiam.

v. 26 « *Audivit autem uxor Uriae, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum* ». Fraudis Davidis non fuerat conscia ante, nunc in suspicionem venit. v. 27 « *Transacto autem luctu misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium* ». Rem tandem homo feliciter compositam reputare poterat : non iam timenda supererat laesi indignatio mariti, non lege sancita poena, non publica ignominia, ipsa libido transierat in ius. Dei scelus permittentis in praecedentibus vix occurrerat mentio, nunc brevi sententia eius exprimit indignatio, severa iam expiatione placanda : « *Et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino* ». Possunt verba, si placet, etiam ad sequentia trahi.

## 2) Reconciliatio David 2 Reg. 12.1-31.

*Arg.* — Annus fere peccatum inter et poenitentiam intercessit, natus enim est puer adulterio conceptus. Pluribus describit *Duguet* regis eo tempore conditionem, qui religionem coleret et iustitiam, sceleris conscientiam sopire incassum niteretur, remorsibus, quos in psalmis enuntiavit, continuo invalescentibus, et scandalo latius usque serpente. Deficiebat sinceræ confessionis humilitas, obtinebat animum pudor et delectio. Tandem adest propheta Nathan, ad sceleris confessionem regem adigit Deoque reconciliat. Habes v. 1-14 sermonem Nathan, v. 15-25 mortem pueri adulterio concepti et Salomonis nativitatem, v. 26-31 Ammonitici belli conclusionem.

*Cap. XII v. 1* « *Misit ergo Dominus Nathan ad David; qui cum venisset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitate una* », melius aliqua, « *unus dives et alter pauper* ». « Accusationem decora involvit fictione : aliter enim in aliis consideramus peccatum, et aliter domesticas nostras culpas » (*Theodoret.*). Ubi sapienter monet *Calm.* : « Abs re utique phrases istae omnes ad literam ita urgerentur, ut veritas de singulis exigeretur, seu de ove, quae argumentum est parabolae, seu de Bethabee, quae sub huius similitudinis ambagibus designatur ». v. 2 « *Dives habebat oves et boves plurimos valde* ». Cogita plures, quae habebat David, uxores. v. 3 « *Pauper autem nihil habebat omnino, praeter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quae creverat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, et de calice eius bibens, et in sinu illius dormiens : eratque illi sicut filia* ». *Munst.* nonnihil subtilius advertit, etiam uxores emi consuevisse : id a mente s. auctoris alienum est, qui oviculam non uxori, sed liberis comparat. Dicitur ovis empta, ut intelligatur non esse pars gregis numerosioris iam acquisiti, sed unica spes procurandae quondam opulentiae, sicut ab uxore sibi expectat paterfamilias liberos, senectutis solamen futuros. — Falso sane verit LXX quae creverat cum eo et cum filiis eius simul : abdicet igitur scrupulum *Cler.*, agnam, quae creverit cum viro, iam agnam non esse. — *De pane* : Hebr. Chald. de buccella, quae vox cibi non communionem solum, sed simul paritatem exprimit. Mensam veluti et torum habebat cum viro illo paupere communia. — *Eratque illi sicut filia* : describuntur ius et affectus, iis quidem, qui in coniugio habentur, inferiores, at quodammodo affines.



v. 4 « *Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens* » — *Hebr. misertus* : miseris suis rapit aliena — « *ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et praeparavit cibos homini, qui venerat ad se* ». *Hebr. praeparavit eam*. Ille dives eo praefertur Davidi, quod hospitalitatis etiam, non merae libidinis motivo actus sit; hoc habet cum ipso commune, quod hospitalitatis praetextu ipse, libidinis ille, alterius familiae iura infringat. Voces, quibus peregrinus designatur, constanter mutantur : *הָיָה אֲדוּנָה* *viator*, *אִישׁ אֶרֶץ* *vir*, veluti ut inculcetur, nullum alium ei viro titulum fuisse, quam fortuiti advenae, viatoris. — v. 5 « *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc* ». Sequentia ostendunt, filium mortis sensu latiori intelligi quemlibet reum poenae. Sapienter haec parabola selecta est, ubi de rege ageretur, cui nihil sanctius esset, quam ut faceret iudicium et iustitiam omni populo suo (8, 13). v. 6 « *Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit* ». Verbum *hebr.* significat mansuetum esse, hinc misereri, refrænare. Egregie parabola vim explicat Prov. 6, 30 sqq. : « *Non habebitur respectus fur* : furatur enim, ut impleat ventrem, quia patitur famem; deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suae tradet. *Qui autem violat conjugatam, desipit, perdit vitam id agendo, castigationem et ignominiam inveniet, et opprobrium illius non delebitur. Quoniam zelosa est indignatio mariti, et non parcat in die vindictae, neque ullam considerabit redemptionem, neque acquiescet propter multitudinem donorum* ».

*Quadruplum* : qui numerus Ex. 22, 1 (21, 37) assignatur restituendus. Obicit *Then.*, Davidem in tanto affectu certe non cogitasse de Exodi textu. Cogitavit implicite, non explicite. Instructus Iudaicus sciebat habitualiter, legitimam ovis subductae restitutionem esse quadruplum, idque etiam in affectu exultantem a reddo quadruplum ». *LXX* legant septuplum, ubi rursus urget *Then.*, Davidem in vehementi affectu minaturum fuisse poenam ea severiorem, quae stricta lege praescriberetur; et citat Prov. 6, 31; Gen. 4, 15. Tamen *quadruplum* h. l. etiam habent *Ag. Symm. Theod. Ios.* — Subtilius *Menoch.* quadruplam restitutionem censuit in morte quatuor filiorum David : infantuli Bethsabee, Ammonis, Absalomis, Adoniae.

v. 7 « *Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir. Haec dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul* », v. 8 « *et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Iuda et, si parva sunt ista, adiciam tibi multo maiora* ». Per *domum* Saul familiares designantur, cf. 15, 16, et generantur quidquid domini est. Dedit i. e. ob-

tulit haec Deus, licet David sibi ea non retinuit. Sub ea voce certe etiam includuntur Saulis et eius familiarium filiae, quas potuisset sibi David, si libuisset, honesto iungere matrimonio. Eodem sensu obtulit ei Deus uxores Saul : potuisset David licite eas sibi copulare et in sinu suo vivere (*Sa*). Una 4 Reg. 14, 30 scribitur uxor Saul, una 2 Reg. 3, 7 concubina, nihil prohibet plures fuisse. Item data est Davidi domus Israel et Iuda etiam ad hoc, ut ad placitum filias eorum sibi assumeret uxores. Ultima verba bene explicat *Syr.* : *quodsi pauca haec erant, dixisses utinam, et adiecisses alia et alia*. v. 9 « *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* » Ita *keri*; sed evidenter praefendum *kethib* in conspectu eius, quod sequuntur *LXX, Chald., Syr.* « *Uriam Iethaeum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Amnon* ». Crimina occulta nuda enuntiantur, ultimum membrum excusationem veluti negantis, se Uriam interfecisse, pracludit (*Malc.*). Nota, hoc scelus fuisse omnium secretissimum et gravissimum, neque in parabola adumbratum : unde fingas terrorem regis audientis. Num ea publice dicebantur? Non liquet. Ex parabola tamen materia videtur rex pro tribunali sedisse, et v. 14 innuere videtur, regis scelera iam quaedamtenus publica esse effecta. Quoad *Syr.* cf. *Arab.*, qui alias Syrum sequitur. v. 10 « *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriae Iethaei, ut esset uxor tua* ».

Quaeritur, qui gladius intelligatur et quomodo propheta sit impleta. Et primum quidem *domum* non est necesse totam posteritatem intelligere, sed familiam David tunc exstantem, a qua gladius non recessit in *sempiternum* i. e. nullatenus, quoad domus eo sensu accepta existit. Iam gladius intelligi potest primum *figurative* pro punitione, cuius duae in sqq. partes offeruntur, substitutio uxorum in poenam commissi adulterii, et infantis mors in poenam praetae necis. Potest idem, et quidem aptius, accipi *proprie*, et explicari de caede Amnon, Absalom et Adoniae, filiorum David. Nec videtur deesse spatium pro his omnibus eventibus, cum scriptura enumeret duos annos (13, 23) a stupro Thamar usque ad necem Amnon, annos tres (13, 38) exilii Absalom in Gessur, annos inde quatuor (15, 7 secundum *Syr.* et *Ios.*) usque ad Absalomini insurrectionem. Quibus si addas annos aliquos pro eventibus, certe illi epochae attribuendis, defendere poteris Salomonem tredecim annorum (cf. 3 Reg. 3, 7; 1 Par. 29, 1) regnum suscepisse, atque ita tota illa epocha vere *gladii* plena fuisse demonstrabitur. Accedit, quod Davidi paranti bellum contra Absalom amice occurrit Sobi, filius Naas, Ammonites (17, 27); videtur igitur hic, devicto fratre Hanon (cf. 10, 2 et 12,



30), more regum Orientis, a Davide constitutus fuisse regulus tributarius Ammonitarum; unde rursus sequitur, Absalomis rebellionem post finitum Ammoniticum bellum, indeque etiam post Davidis adulterium habuisse locum. Et hinc plene perspicitur idea divinae castigationis Davidi inflictae. Abusus est ille uxore proximi sui: omnes eius uxores ante adulterium legitime ductae prostituuntur, v. 11 cf. 16, 22, et ita inutiles efficiuntur 20, 3. Interfecit ille proximum suum: adducuntur gladio v. 10 omnes eius filii, quicunque regni potiundi expectationem habent, ipse itidem v. 14 parvulus in adulterio conceptus; totaque Dei promissio transfertur in filium post peccatum generandum, ex uxore post peccatum legitime ducta. Est haec, desecratis fundamentis, funditus suscepta reedificatio domus, quam 7, 11 promiserat Deus se Davidi aedificaturum.

v. 11 « *Itaque haec dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de dono tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius* ». De dono tua i. e. per manus filiorum tuorum; non permittam alienos violare tua iura, sicuti tu, alienus cum esses, violasti iura Uriae. In oculis tuis: tu oculis testium immediatorum rem veluti praesens conspicies. Imo invocatur testis actu praesens eius facti futuri, quae invocatio adiurationis vim habet: Tam certo, atque sol nunc lucet, et haec fiet. Facta reapse res est « coram universo Israele » 16, 22, in tentorio tenso in eiusdem, uti videtur, palatii solario, unde adultero animo prospexerat David (Sanct.). v. 12 « *Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis* ». Haec divinarum iudiciorum lex, absconditorum revelatio. v. 13 « *Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino* ». « Peccavi, fateor, in Uriam, peccavi in Bethsabee, peccavi in populum, cui plurimum exemplo malo nocui: sed haec omnia comparatione offensi Dei tam in me munifici, tam a me dilecti, quasi nihili pendo ... Tibi soli peccavi, quia comparatione offensionis divinae offensiones aliae, alioqui gravissimae, quasi nullae existimantur » (Tir. post Sanct.). « Idem, quod Saul (1 Reg. 13, 24), locutus est David, sed diverso animo » (Menoch.). Cf. Calm.; item Aug. (32. 442). Brevis et sincera confessio, terminans diurnas mentis angustias. Simul quoque tacita acceptatio poenae mortis, quam ipse v. 3 in se pronuntiaverat et lex in eius scelera statuerat. Verum hanc conclusionem Nathan illico praeccludit: cf. sequens quoque, 22. « *Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris* ». « Velox confessio, velocior medicina » (Ps. Eucher.). « Hic considerare possumus, quantum valet apud Deum humilis et vera poenitentia » (Angelom.). Condonat Deus culpae reatum, condo-

nat punitionem ei reatui iure debitam, quaeque omnes promissiones Davidi factas retractasset; non condonat poenas accessorias v. 10-12 praenuntiatas. « Duplicis mortis reus erat, nam et adulter et homicida secundum legem interimebantur » (Theodoret.). v. 14 « *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* ». Piel נָאִי hoc unico loco sensu causativo legitur, unde Geiger אָיִי tamquam spurium expungit: « quoniam blasphemasti Dominum »; at habent illud textus omnes. v. 15 « *Et reversus est Nathan in domum suam* ».

Effectum iam nanciscuntur ultima v. 14 prophetae verba: moritur filius adulterio conceptus, nascitur inde Salomon perfectae reconciliationis pignus. « Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriae David, et desperatus est ». Non otiose mulier h. l. uxor Uriae appellatur. Versio desperatus est (Vulg. Syr.) confirmatur Ier. 30, 12. 13; 17, 16. LXX Ios. aegrotavit. v. 16 « *Deprecatusque est David Dominum pro parvulo, et ieiunavit David ieiunio, et ingressus seorsum iacuit super terram* ». Hebr. Chald. Syr. et ingressus est et pernoctavit, totam noctem in oratione, ieiunio et humi cubatione transiegit. v. 17 « *Venerunt autem seniores domus eius* », « qui auctoritate et gratia, adde etiam et aetate, plus apud regem poterant » (Sanct.), « cogentes eum, ut surgeret de terra; qui noluit, nec comedit cum eis cibum ». Septimus, de quo statim, dies est vel suscepti ieiunii vel, quod in idem recidit, exorti morbi. v. 18 « *Accidit autem die septima, ut moreretur infans. Timueruntque servi David nudare ei, quod mortuus esset parvulus; dixerunt enim: Ecce, cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram, quanto magis, si dixerimus: Mortuus est puer, se affliget* », se. continuato ieiunio (Ios.)? Certe expressio non cogit, cogitante de suicidio. v. 19 « *Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit, quod mortuus esset infans, dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est* », v. 20 « *Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est; cumque mutasset vestem* » (cf. Gen. 41, 14), « ingressus est domum Domini, et adoravit; et venit in domum suam, petivitque, ut ponerent ei panem, et comedit ». v. 21 « *Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo, quem fecisti? Propter infantem, cum adhuc viveret, ieiunasti, et flebas: mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem* ».

Ita omnes praeter LXX, qui ita iungunt: Quis est sermo, quem fecisti de infante? Eo vivente ieiunasti etc. Verum illud 17 absolutum et omnino indeterminatum durius est, et debet sequi copula. LXX Chald. Syr. pro 17 בְּבֹרִי videntur, uti v. 22 legisse



בעידך. — v. 22 *Hebr.* LXX *Chald.* miseretur mihi, *Syr.* miseretur ei sc. infanti, *Vulg.* utrumque pronomen exprimit: donet eum mihi.

v. 22<sup>¶</sup> « Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, ieiunavi et flevi, dicebam enim: Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans? » v. 23 « Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiunem? Numquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me ». Intellige vel absolute: Mortui non revertuntur, lege generali; vel cum *Malv.* conditionate: « Si perseveravero in luctu, potius ego me conficiam, quam illum revocavero: stulto et inutili labore consumar ».

v. 24 « Et consolatus est David Bethabee uxorem suam, ingressusque ad eam dormivit cum ea; quae genuit filium, et vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum ». Consolatus est verbis, consolatus est etiam magis resumpto coniugali commercio.—Vocavit: *keri* et *Chald.* utuntur verbo feminino, *ketib* et *Syr.* masculino: verum, etiamsi verbum legas masculinum, non necessario illud Davidem prae Bethabee indicat subiectum, quandoque enim verbi forma masculina prae femina usurpatur.—Salomon i. e. pacificus, ita vocatus 1 Par. 22, 9, quod Dominus illi daturus esset requiem « ab omnibus inimicis suis per circuitum »; unde aliqua eius attributi nominis occasio fuerit etiam bellum Ammoniticum, brevi ante pueri nativatem terminatum (*Then.*); sed certe non integra vel potissima causa illud fuit.—Considera parallelismum nostri versus cum ultimo versu cap. 11: « peperitque ei filium, et displicuit verbum hoc coram Domino »—genuit filium, et Dominus dilexit eum ». Ceterum ultimum incisum intime cum v. 23 iungas: perfectam reconciliationem et inde secutam dilectionem Deus deputato etiam propheta declarat. v. 25 « Misitque in manu Nathan prophetae, et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus ». *Hebr.* est nomen proprium Iedidiah. Duplex igitur nomen a Deo inditum habuit Salomo (cf. 1 Par. 22, 9), sed hoc alterum Iedidiah non tam ad usum constantem, quam ut ipso nomine exprimeretur veluti sigillo factum divinae reconciliationis.

*Eo quod diligeret eum Dominus*, ita *Vulg.* explicat *Hebr.* propter Dominum; certe melius quam *Syr.* eo quod Dominus esset dilectus eius.—Disputatur, quodnam sit sententiae subiectum. David, inquit *Mar.*: verum, quid miserit David et ad quem, non perspicitur. Num misit prophetam ad Bethabee, ut hoc uxori nomen communicaret? *Then.* textum corrigi, וישלחך ליהודא, hoc sensu: Et misit David puerum ad Nathan, ut educeretur; Nathan vero paterno plane affectu puero alterum nomen indidit. Ast correctio nullo nititur critico fundamento. Sane prophetae a Deo, non a rege, misit consueverunt: unde aptius cum *Vatablo*, *Sa*, *Menoeh.* subiectum statuumus Deum. בן שלחך modo sensum habet mittere per aliquem (3 Reg. 2, 25; Ex. 4, 13), modo

sensum committere alicui (2 Reg. 18, 2): hoc altero tamen sensu obiectum exigit. Ergo priorem sensum retineamus: Misit Deus per prophetam mandatum, sc. imponendi talis nominis, et consequenter ad illud mandatum propheta nomen Yedidiah imposuit, et quidem propter Dominum. Non ideo propter Dominum, quia mandaverat Dominus, ea enim esset tautologia; sed, quod in Domino reapse esset causa eiusmodi appellationis, amorse. Salomonis, seu eo quod diligeret eum Dominus (*Vulg.*).

v. 26 « Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam ». Cf. 1 Par. 20, 1: « Porro David manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, et destruxit eam ». Certum est eandem hic dici urbem regiam, quae versu sequenti urbs aquarum, nam v. 27 idem factum enuntiatur verbis nuntii, quod v. 26 enuntiabatur verbis s. auctoris. Sensusque manet idem, sive cum *Chald.* et *Syr.* utrobique legas « urbem regiam », sive cum *Wellh.* « urbem aquarum » (sed critica ratione caret *Wellh.* correctio). Rabba exstructa erat prope fluvium et, uti videtur, duplici constabat parte (*Mar.*, *Vatabl.*), « urbe aquarum » seu inferiore, et acropoli (*Malv.*): haec altera supererat capienda. *Ios.* exponit, Ioabum arcem aqua praecidisse; quod non improbabile apparet. v. 27 « Misitque Ioab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, et capienda »—vel rectius, *capta*; ita versiones omnes—« est urbs aquarum ». v. 28 « Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria ». Fortasse haud paucos milites amiserat Ioab (*Keil*), nec minus necessitate, quam regii nominis studio ad accersendum regem movebatur.—*Hebr.* ne vocetur nomen meum super eam: eadem expressio, quae 6, 2. Vel agitur generatim de Ioab nomine urbis destructione gloriose appellando, de gloria rei feliciter gestae ei adscribenda, vel de urbe Ioabi nomine appellanda « urbs Ioab », sicut arx Sion fuerat dicta « civitas David »; cf. Num. 32, 41; Iud. 18, 29. Ad prius confer, quod *Curtius VI.* 2 de Crateo duce refert: « Ille omnibus praeparatis, regis (Alexandri) expectabat adventum, captae urbis titulo, sicut par erat, cedens ». v. 29 « Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath, eumque dimicasset, cepit eam »; v. 30 « et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas », —vel gemmas; *Hebr.* utrumque sensum admittit—« pretiosissimas, et impositum est super caput David ».

Quem regem cepit aut vivum aut mortuum. LXX et 1 Par. 20, 2, aliam punctuationem secuti, legebant *Melchom*, idolum Ammonitarum, sed vehementer dubito, Davidem suo usui quidquam assumpturum fuisse, quod ad idoli ornatum pertinisset, cf. 2 Mach. 12, 40. — Talentum auri ככר aequat 58-932 Kilogr. (*Schrader* ap. *Riehms*), quod pondus certe David non « perpetuo in capite gestavit » (*Ios.*). *Cler.*, Rabbiorum vestigiis insistens, suggerit, coronam illam « machina quadam seu fune suspensam fuisse, ita ut videretur adherere capiti regis eam subentis, dumtaxat ostentationis



causa et in throno sedentis». Sed, quoniam שָׁקֵל non solum pondus significat, sed etiam pretium, felicius tandem idem auctor post *Sanct.* suggerit, מִשְׁקָל verti posse *valor* seu *pretium*: pretium quippe in statera appendebatur. Iam unius talenti aurei seu 168,750 fr. pretium pro diademate aureo, geminis orato non videtur nimium. Adde quod aestimatio sit approximativa et hinc, quod fere fit, potius immoderata.

«*Sed et praedam civitatis asportavit multam valde*»; v. 31 «*populum quoque eius adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum. Sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon, et reversus est David et omnis exercitus in Ierusalem*». Noli tamen existimare, in omnem Ammonitarum nationem animadversum esse tam crudeliter. Agitur de viris armatis, in civitatibus munitis reprechensis, iisque verisimiliter nequaquam universis, cf. 8, 2. Item recole atrocitates ab Ammonitis in Israelitas pridem commissas 1 Reg. 11, 2, cf. etiam Am. 1, 13: «eo quod dissecuit (Ammon) praegnantem Galaad». (*Theodoret.*) Perperam tandem *Houb.* opinatur, omnia et singula tormenta in singulos esse adhibita; quin imo alia in alios. Iam si David nonnisi eas poenas Ammonitis inflixit, quas ipsi priores Hebraeis intulissent (*Calm.*), legem V. T. implevit «oculum pro oculo etc.» (Lev. 24, 20). Denique cum *Sanct.* advertet, has poenas Davidem egessisse, quo tempore a peccato nondum respiciatur.

*Hebr.* וִישַׁם et *posuit*, 1 Par. 20, 3 וִישַׁר 3 et *serravit*, quas lectiones componit *Wéllh.* in וִישַׁר, et *serravit eos*, derivandum a נָשַׁר, *Chald. Syr.* נָסַר, quibus in linguis serrandi sensum habet. In sequentibus *Vulg.* paraphrasi quadam utitur; *Hebr.* serravit eos serris, tribulis ferreis et cultris (?) ferreis. כַּבְרֵה (cf. 3 Reg. 7, 9) etiam LXX *Chald.* vertunt *serra*. חֵרִיץ (cf. 1 Reg. 17, 18) a חָרַץ *secare*; LXX *Chald.* intelligunt *tribulum*, quae erat trabs acutis lapidibus instructa ad excutiendas spicas; *carpenta* (*Vulg.*) ad eundem sensum potest revocari, ut sit genus quoddam currus; spicas excutiendis inserviens. כַּבְרֵה, quod mendose 1 Par. scribitur כַּבְרֵה, certe est instrumentum secans, *Vulg. cultris*, LXX *συσκοτεμας*, *Chald. securibus* (cf. 4 Reg. 6, 4). *Syr.* horrore eius carnificinae percussus, satius duxit Ammonitas compedibus atque catenis vincire. In *typo laterum*: LXX *επιπλαταιας* כַּסֵּי בַּיִת, videntur cum *Vulg.* sentire, Ammonitas esse coniectos in fornaces coquendis lateribus destinatas; *Chald. raptavit eos per plateas*; *Syr. traduxit eos per mensuram* (?). Cum בַּיִת secus nonnisi Ier. 43, 9 et Nah. 3, 14 legatur neque ibi consentiant versiones, rem in medio relinquinimus.

### 3) Davidis peccati sequelae 2 Reg. 13, 1-20, 16.

#### a. Iteritus Ammon 2 Reg. 13, 1-14, 33.

ARG. — Ammon primogenitus, sororem Thamar deperiens, simulata aegritudine puellam in cubiculum pellicit atque opprimit, oppressam

foede eiicit. Biennio post ab Absalome eiusdem fratre ad convivium vocatus interficitur. Absalom triennio exulatur. Tum Ioab accessit mulierem sapientem Thecutidem, quae adhibita parabola regi supplicatur, ut filium fratris occisorem vindictae consanguineorum subtrahat. Rex petitis mulieris cum iuramento assentitur, mox persecta parabola Absalomi redeundi veniam concedit, biennio post eundem ad aulam iterum adsciscit.

Nota, quam similia patris sceleribus commiserint Davidis filii. Peccaverat David violata coniugata, Ammon peccat violata virgine sorore: peccaverat David interempto viro omnino innocente Uria, Absalom peccat occiso Ammon fratre, sororis stupratore. Unde explicatur Davidis in filios lenitas, qui ab Amnone reprehendendo 13, 21 abstinerit, Absalomi post quinquennium plene sit reconciliatus.

*Cap. XIII v. 1* «*Factum est autem post haec, ut Absalom, filii David, sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adanaret Ammon, filius David*», v. 2 «*et deperiret eam valde, ita ut propter amorem eius aegrotaret, quia, cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneste ageret eum ea*». Recte *Vulg.* subordinat sententiae membra, in *Hebr.* coordinata; recte supplet *inhoneste*. Sed quaenam in virginitate difficultas? Responde cum *Vatobl.*, Sa aliusque, difficultatem in eo fuisse, quod virgines arctius custodirentur. *Then.* difficultatem collocat in virginitatis modestia: ast virginitatis modestiam juvenis lascivus vix non semper imaginatur facili ope posse superari.

*Hebr. et angustum factum est Ammoni usque eo, ut aegrotum se faceret propter Thamar, sororem suam.* הַרְחִיקָה significat *aegrotum se facere*, et quidem h. l. intelligitur de vera, v. 5 sq. de ficta solum aegritudine. At quomodo v. 5 sq. Ammon se fingit aegrotum, qui v. 2 affirmatur fuisse vero aegrotus? Finxit se magis aegrotum, quam reipsa erat. Pulchre h. l. *Sanct.* in effectus insanii amoris invehitur.

v. 3 «*Erat autem Ammon amicus nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde*». Cf. 1 Reg. 16, 9. v. 4 «*Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi?*» Sane *filium regis* omnium minime decebat deperire, qui omnibus afflueret, ad omnia pertingeret. — *Hebr. mane et mane. Then.* affirmat, mane vel maxime observari morbi effectus: sed febriliter laborantes utique vespere magis afficiuntur. Videtur Ionadab filium regis singulis diebus mane convenisse, et hinc progressum infirmitatis de mane in mane observasse. — Respondet iam Ammon abrupta locutione, omisso גַּי. «*Dixitque ei Ammon: Thamar, sororem fratris mei Absalom, amo*». v. 5 «*Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, et languorem simula, cumque venerit pater tuus, ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat*